Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ergetzlichkeit oder Delicium deum inter et hominem de oratione, sanctis, poenitentia, et eucharistia ad excitandum cor ad amorem DEJ aptissimum - Cod. Ettenheim-Münster 238

[S.l.], 1737

Colloquium III. Christi & hominis de modo agenda poenitentia

urn:nbn:de:bsz:31-127485

Visual Library

Colloquium III.

Christi & Hominis

De Modo agendæ pœnitentiæ.

Homo. Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? ut quid vivo diutius, ut quid etiam terram occupo; ego lignum aridum et infrugiferum; ego semper ingratus, et injurius in Deū meum; dum non nisi peccata peccatis accumulo, et sic thesaurizo mihi iram in die iræ, et justi judicij Dei. Heu scio et nimis experior, quia non habitat in carne mea bonum; et corpus quod corrumpitur, aggravat animam. facio igitur malum, et pecco quotidiè; et quod gravius

est

raro aut nunquam recogito, quam grave sit, quod delinquo, nec audeo condignis lacrymis, et gemitibus placare mihi faciem Dei Creatoris mei, quem toties ad iram provoco.

Heu quam multa habeo, quae defleam, cum nihil sit, unde merito rideam! tenebrae cordis, et lubrica conscientia, casus in vitia, et gratiae jactura, tot laquei, et peccandi pericula, quid nisi flere et gemere moveri? quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum? et plorabo die ac nocte, damna temporis praeteriti, et pericula futuri, et mala animae meae, quae multiplicata sunt

Super

Super numerum. Ah Domine
Deus meus, quid unquam fiet
de me, cum deficiam quotidie,
et non desinam offendere te?
quando convalescam de infir-
mitate mea? quando resurgam,
qui dejectus sum in limo pro-
fundi! putas adhuc spes esse
poterit resurgendi? putasne
mortuus homo rursum vivet?
En de profundis clamo ad te.
Domine; exaudi vocem miseri
servi tui: Non est mihi spes
de me; et utinam firmior sit
in te. Desperatio enim mihi
ingeritur valida, quia infirmi-
tas mea indies crescit ex culpa.
Et si dixero, nunc incipiam;

tem-

tempus est jam de somno surgere; tempus enim nunc acceptabile est, et dies salutis; statim adest peccatum præ foribus quasi jugū grave, et sicut talentum plumbi deprimens collum meum: et erigitur adversum me inimicus meus, et consuetudo mali quasi victum, et vinctum trahit me compedibus suis.

Vide Domine afflictionem meam, erue me à circumdantibus me, quia confortatus est timor eorum super me. Perüt enim consilium à me, et fortitudo mea defecit. Confractum est brachium meum, et gladius meus salvare me non poterit. Tu solus es, qui mihi ad refugium relictus es, sed

quem

quem ego, heu, nimis sæpe reliqui; unde et merito timeo relinqui, imo jam vereor, ne projectus sim à facie oculorum tuorum. Nam vultus tuus super facientes mala, ut perdas de terra memoriam eorum. Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus à te non est absconditus.

Xtus. Audivi gemitus tuos, ô homo, et clamor cordis tui pervenit ad aures meas: nam juxtà sum his, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvare paratus sum. Verum et tu paulisper audi justas querelas meas. Ego quidem calamum quassatum non contero, nec linum fumigans extinguo: meum enim lignum

enim non est, perdere quenquam ex
his, quos dedit mihi Pater meus.
Sed tu ipse vide, quam meritò con-
trà te exardesceret sicut ignis ira
mea. Ego condidi te ad imaginem
et similitudinem meam, et sangui-
ne meo redemi te, prius mancipiū
Satanæ, ut servires mihi. Verùm
tamen tu servire me fecisti in
peccatis tuis, præbuisti mihi la-
borem in iniquitatibus tuis. Re-
duc in memoriam; et judicemur
simul. Narra, si quid habes,
ut justificeris.
Nonne ego sum Pater tuus, qui
possedi te, et feci, et creavi te?
Tu vero Patrem qui te genuit de-
reliquisti, et oblitus es Dei crea-
toris tui. Si Pater ego sum, ubi est
timor

timor meus? Ecce filium te mihi enutrivi, et exaltavi, tu autem sprevisti me. Cur, qui in Domo Patris tui poteras enutriri croceis, et vestiri duplicibus, maluisti abire in regionem longinquam, adhaerere alienigenis, amplexari stercora, et nudus fame ac frigore tabescere? quid feci tibi, aut quid molestus fui, ut desereres me? Quare me dereliquisti fontem aquae vivae, fodisti tibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. Animam tuam mihi in carissimâ sponsam elegeram; tu autem maluisti post alios amatores ire. Ego viam rectam et planam monstrabam tibi; nam sum ipsa via, veritas, et vita. ut quid ergo

Cassi.

Cassatus es in via iniquitatis, et ambulasti vias difficiles, in quibus, in quibus non nisi contritio et infelicitas, et viam pacis noluisti cognoscere? O quoties vocavi ego, et renuisti! quoties extendi manum meam, et non aspexisti; et sprevisti omne consilium meum. Nonne jugum meum suave, et onus meum leve? ut tu potius ires emere tibi quinque juga boum, et abires post concupiscentias cordis tui, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem? fili hominis usquequò gravi corde? ut quid diligis vanitatem, et quæris mendacium?

Hoo. Vere scio quod ita sit, et quod non justificetur homo com-

posita

positus Deo. Si justificare me
voluero, veritas condemnabit me;
Si innocentem asseruero, pravum
me comprobabis. Si voluero con-
tendere tecum, non potero tibi
unum respondere pro mille. Pec-
cavi. Quid faciam tibi ô Custos
hominum? Ecce iniquitatem me-
am ego cognosco, et factus sum
mihimetipsi gravis. cur non tollis
peccatum meum? nam sicut onus
grave gravata sunt super me ini-
quitates meæ. fateor iram me-
rui, non indulgentiam. Undè
si ejicis me a facie tua, juste
facis. Sed si miserum et indignũ
vel inter mercenarios recipis, mi-
sericorditer facis. O si superexaltet
misericordia judicium, quia ipsa
est

est super omnia opera tua.
Ecce miser ego peregrinus et exul à Cœlesti Jerusalem descendens incidi in latrones, et exspoliatus tunicâ immortalitatis, et multis plagis acceptis, semivivus relictus sum; et jam putruerunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ, et non est sanitas in carne mea. Si tu non infuderis vinum consolationis, et misericordiæ oleum; quis idoneam medicinam conficiet? Si denique denarium, id est, salutis pretium tu non persolveris; quis ad hoc sufficiet?

Xtus. Animæquior esto, ô homo, et noli timere. Perditio tua ex te: tantumodò ex me auxilium tuum.

tuum. Ego sum Samaritanus, verus ille medicus, qui ad hoc in mundum veni ut mederer contritis corde. Ego qui languores tuos ipse portavi; imò qui vulneribus tuis ex sanguine meo remedium præparavi. Nolo enim mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: ideòq; veni quærere, et salvum facere quod perierat. Non veni vocare justos, sed peccatores. Neq; enim opus est benè habentibq medico, sed malè habentibus. Memento vocis meæ, quâ invitavi ad me omnes peccatores terræ, dicens; Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.

Veni

Veni ergò et tu, et revertere per aliam viam in regionem cœlestẽ, quam monstravi pœcatoribus, ut ambularent in eâ. Via autem hæc est, Pœnitentia. Si ergò vis vitam, diverte à malo et fac bonum, memor esto undè excideris, et pœnitentiam agens prima opera fac. Redi prævaricator ad cor, et vide quia amarum est reliquisse Dnum DEUM Creatorem tuum. Depone omnem malitiam; abjice opera tenebrarum; fac fructus dignos pœnitentiæ; abnega impietatem et sæcularia desideria. Atque deinceps sobriè, justè et piè vive in hoc sæculo. Hæc est via, quæ ducit ad vitam, et alia non est

præter

præter eam.

Hóo. O Quam dulcia faucibꝰ meis hæc eloquia tua Domine! super mel et favum ori meo. jam utiqꝫ secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. O fidelis sermo et omni acceptione dignus! quia Xtus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Jam ergò memor esto verbi tui, in quo mihi spem dedisti: Recipe filium prodigum, et profugum à facie tua; et nunc revertentem ad dulcissimum Patrem suum, brachijs dilectionis amplectere. Ne proijcias

ijcias me à facie tua, et dimitte omne malum servo tuo, et ne deleas de libro viventium nomen meum.

Xtus. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, propter me; et peccatorum tuorum non recordabor. Ego qui justifico impium, dimittens ei omnia delicta, propter nomen meum: nam et misereri potiq eligo, quam irasci; et parcere malo, quam punire. Quid ergo times? quid trepidas ad sinum tantæ pietatis accedere? paratior sum ad indulgendum, quam tu ad pœnitendum.

Sed vide, ne tardas converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Multa hic sunt mora et dilationis incomoda. Nonne dum eger es non differs curam valet.

valetudinis, sed mox accersis medicum, et principijs obviandum censes, ne forte frustrà paretur medicina, postquam morbus per longiorem moram invaluit.

Prudenter; sed cur idem non facis, cum animus tuus ager est? tunc certè multò periculosius laboras, quam si corpus tuum, et intima viscera pestis, aut veneni vis pervasisset. Quid ergò cessatis, quid moraris? surge, propera, et convertere ad DEUM Salvatorem tuum: ne quando ut leo rapiat animam tuam, et non sit, qui redimat neq; qui salvum faciat. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ: et cave ne assuescas

fuescas cuicunqs peccato. Nihil enim fortius hominem ligat, quam mala consuetudo. Ut difficile est, naturam expellere, sic malam consuetudinem, quæ est quasi altera natura. An vero mundo, et carni florem, ac fœcem debes mihi, qui tibi dedi omnia; nec vilia sed optima: et tui causâ fui in laboribus à juventute mea. Hoc. Durus est multis hic sermo Domine: nec possunt eum capere: Unde ista eorum voces: Venite et fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter. Non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nec desunt inter illos, qui longitudinē

dierū

dierum sibi promittunt; et interim ducunt in bonis dies suos, quasi in fine sat tempestivum sit, recogitare annos praeteritos in amaritudine animae suae, et tunc demum rogare te, ut delicta juventutis, et ignorantias eorum non memineris. Quasi justum hoc sit, ubi abundavit delictum, superabundet et gratia. Et haec quidem dicunt insipientes in corde suo; cuius rei vita et ipsa opera testimonium perhibent.

Ytus. Scio quia stultorum infinitus est numerus; sed tu noli aemulari in malignantibus; et si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Ne ambules cum eis, prohibe pedem à semitis eorum.

Nam

Nam cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit: quando super eos venit tribulatio et angustia, tunc invocabunt me, et non exaudiam; eoquod despexerint omne consilium meum, et increpationes meas neglexerint. Audi quisquis spe longioris vitæ differs meliorem: stulte, quid si hac nocte, quid si hac hora, repetam à te animam tuam, quò putas, infelix ibit? ô quot millia hominum delusit ista spes, aut magis stulta præsumptio! at nunc in inferno positi sunt, mors depascit eos; et hoc maxime torquet illos, quia neglexerunt operari bona,

dum

dum tempus haberent. nimirum
ob spem incertam, certum salutis
remedium neglexerunt, nec tam
voluerunt deserere, quam differ-
re pœnitentiam. Sed dilatio ista
perditio fuit: præcisa est enim
velut à lexente vita eorum, dum
adhuc ordiri viderentur: mortui
sunt, antequam se mori scirent;
et qualis eorum in extremis pœ-
nitentia fuerit, tu ipse collige.
hoc scilicet, illos maximè tunc
pœnituit, ac etiamnum, sed
frustrà pœnitet, quod pœni-
tentiam tempore opportuno
neglexerint, et pœnas æternas
paucis horis, quod facilè pote-
rant, non redemerint.

Vtinam tu saperes damno alieno,
et cautior fieres in re tam ardua.
Promisi ego quidem veniam pœ-
nitenti, sed vitam non promisi
in crastinum differenti. Hodie
ergo si vocem meam audieris,
noli obdurare cor tuum; nescis
enim quando veniam tibi: quid
si ut fur in nocte, et horâ, quâ
minimè putabis? vigila itaq;
et omni horâ paratus esto.
Ecce quid est vita tua, nisi vapor
ad modicum parens? quid corpus
mille casibus, miserijs et periculis
obnoxium? quod ventus quandoq;
et levis febricula, aut casus ali-
quis subitus in momento pro-
sternit, et huic tam fragili fulc-
ro tu audes inniti, et fidere?
Nonne

Nonne stultam istam fiduciam satis arguunt tot obvia quotidie mortalitatis exempla; quæ sine discrimine ætatis, sexus, conditionis, sed non sine certo providentiæ meæ consilio, frequenter ingeruntur oculis tuis, ut discas, quàm inanes sint hominum spes, quàm fallaces cogitationes; et memineris, accidere tibi posse, quod cuiquam potuit. et felix et sapiens est, qui ex alieno malo emendat suum.

℣. 100. Justus es Domine, et rectum judicium tuum; sed parce mihi, si loquar ad Dñum meum, ego pulvis et cinis. Nunquid voluntatis tuæ est mors

impij? nonne miserationes tuæ
super omnia opera tua? et cum
iratus fueris, misericordiæ recor-
daberis? nonne tu dixisti; Nolo
mortem peccatoris? et, impietas
impij non nocebit ei, in qua-
cunqz tandem die conversus fu-
erit ab impietate sua? an non
ergo pœnitendi tempus erit,
quousqz est vivendi?

Xtus. Nimis insipiens es, ô
homo, quisquis tibi blandiris
spe misericordiæ, immemor jus-
titiæ meæ: ideone tu malus
eris, quia ego bonus sum?
An ideò misericors et facilis
ad veniam prædicor, ut tu
pecces securius, et liberius ad

iram

me provoces, et tandem, cum
me pro libitu tuo saturasti op-
probrijs, nihilominùs misericor-
diam meam tibi fidenter pro-
mittas? fateor, magna est
misericordia mea erga peccato-
res, dum tempus est miserendi:
sed tu, qui toties à me per
internas inspirationes, toties
per praecones verbi mei moni-
tus es, at semper restitisti
Spiritui meo, et instar aspidis
surdæ, et obturantis aures
suas, non exaudisti vocem
meam, quomodò misericordiā
meam in fine sperare audes,
qui secundùm duritiam, et
impœnit.

impœnitens cor tuum thsaurizas tibi iram in die iræ.

Est potius cur timeas, ne forte ob contemptum misericordiæ meæ ultrò toties oblatæ, tradaris in reprobum sensum, et deinceps totus abeas post desideria cordis tui; et ita cum in profundum veneris, contemnas. adeóq; tandem indignus misericordiæ soli justitiæ reserveris. hac enim merito ultione perciditur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivus et sanus oblitus est mei.

Ne ergo dicas, Miseratio Dni magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; ut enim misericordia, sic et ira

ab

ab illo citò proximant, et in peccatores respicit ira illius. Tu potius ambula dum lucem habes, ne tenebræ te forte comprehendant, quodcunqz potest manus tua, instanter operare. Nescis, quid ölim facies, aut possis, cum defecerit virtus tua. Nunc adolescentior corrige viam tuam, in custodiendo sermones meos. Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis, si hos negligis, nimis temerè aliud tibi spatium pœnitentiæ polliceris. Sera pœnitentia rarò vera: non tam enim deseruntur peccata, quam deserunt, quia peccandi

vires

vires deficiunt; et mirum valde est, quod rei tam incerte et dubiæ audeas salutem tuam committere, qui alibi certissima quoque sollicite perquiris. Nunc offero tibi gratiam meam, quæ repudiata olim forsan juste negabitur. O Si scires quam periculosum et noxium sit, in vacuum gratiæ meam recipere, et vocantem me repellere, anhelares ad me, sicut cervus ad fontes aquarum: satageres, ut per bona opera certam vocationem tuam faceres: age nunc ergo, quod tunc actum voles, cum plus agere non poteris, et non egisse, cum poteras, vehementer dolebis; sed nec residuum

amplig

amplius dolori remedium invenies. Quæ seminaverit homo, hæc et metet. hæc vita est tempus sementis, in morte tempus messis aderit; si seminaveris in carne tua corruptionem, de carne metes corruptionem. Tu ibas nunc semina in lacrymis, quod tunc in exultatione metas.

Intelligite hæc, qui obliviscimini DEUM; intelligite, ne quando rapiat, et non sit qui eripiat. Ecce ego dimisi nonaginta novem oves in deserto, et te unã errantem quæsivi: et jam velut pastor bonus paratus sum tollere te in humeros meos, ut

reduc.

reducam te gaudens in ovile meum. noli diutius defraudare me desiderio meo, et Angelos meos gaudio, quo gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente.

Hoo. Verè erravi sicut ovis quæ periit; sed tu require servum tuum Domine, qui venisti quærere et salvum facere quod perierat. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, sed en occasionem illustrandæ gloriæ tuæ, si juxtà promissiones tuas, misereè et humili præstes misericordiam tuam: et vincas, cum judicaris, sinistra hominū judicia, qui de te non sentiunt

in bo-

in bonitate, sed in vindicandis hominum delictis rigidum valdè et imitem judicant. Ego verò conscius clementiæ et bonitatis tuæ revertar ad te, ut filius prodigus ad patrem misericordiarum. Ne projicias me à facie tua.

Xtus. Revertere, fili mi, quid foris vesceris siliquis porcorum, cui apud me pasci licet delicijs filiorum. Revertere in toto corde tuo, et ego recipiam te in amplexus meos. Sed ecce modum: Recogita in primis omnes annos et dies in peccatis actos in amaritudine animæ tuæ; et seriò te ipsum

examina; diligenter omnes conscientia latebras excute. Si obiter tantum et perfunctoriè hoc egeris, multa tè effugient: pravum enim et inscrutabile est cor hominis, et quis cognoscet illud? Nihil difficilius, quam Nosse seipsum: sed nec quidquam utilius. Vanum autem est, scire omnia, si tejpsum nescias. Morbum suum nosse, sanitatis initium est.

Job. In multis offendimus omnes. et tu quidem Domine probasti me et cognovisti me, et omnes gressus meos dinumerasti; quia omnia nuda et aperta sunt oculis tuis;

tu

tu scis optimè quid sit in homine, et intelligis cogitationes meas de longè. Sed delicta, quis nostrum intelligit? ab occultis meis munda me Dne. Vereor enim omnia opera mea, sciens, quod non parcas delinquenti. multiplicatæ sunt iniquitates meæ, super capillos capitis mei; et non potui, ut viderem. Sed tu, ô Lux vera, qui illuminas omnem hominem in hunc mundum venientem, illumina tenebras mentis meæ, ut videam, ubi declinaverim à mandatis tuis, et rursus dirigar in viam rectam. Responde mihi, quantas habeo iniquitates et peccata.

Xtus.

Xtus. Facilè respondebit tibi conscientia tua, nisi forte obduratam habueris. interroga illam seriò, non silebit. Nonnè sapius non ragata angit et arguit, et secreto verbere flagellat peccatrem? Si qua tamen post diligens examen non occurrunt memoriæ, illa meæ comitte misericordiæ: nec te scrupulis fatiga: volui enim ego hoc Pœnitentiæ Sacramentum tibi potiùs esse ad solatium quam tormentum. attamen amor sui facit non raro, ut declinet homo cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Tu verò in teipsu fungere

partibus

partibus rei, accusatoris et judicis, omni affectu seposito; cumq; te nocentem deprehenderis, non parcas tibi; sed severius teipsum coarque, et dole ex intimo corde, quod offenderis, et contempseris me DEUM Creatorem, et Salvatorem tuum, quem summo amore, utpotè super omnia bonum, complecti debueras.

Cogita, quantoperè ob rei vilissimæ jacturam subindè doleas, et plores, et non doles, cum feceris detrimentum animæ tuæ, et amiseris me, summum bonum tuum? Dominum me fateris, sed ubi est timor meus? Patrem vocas me, et ubi est amor meus? Quoties ego tibi secretò locutus

ad cor

ad cor, dixi, imò dixit tibi propria conscientia tua; perversa est via tua, non hâc itur in cœlum; hæc est via lata, quæ ducit in perditionem, non hâc iverunt, qui DEO placuerunt. Usquequò tu diliges vanitatem, et quæres mendacium? Sed tu projecisti nihilominùs sermones meos retrorsùm; et ecce adhuc ego sto ad ostium et pulso et vix admittor.

℣. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Memento, quæso Dne, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me, et

cum

cum nihil odoris eorum, quæ fecisti, citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis.

Xtus. Memento homo, quæ fecerim tibi. quid enim habes quod non accepisti? et vide, quia malum et amarum est, dereliquisse te Dominum Creatorem tuum, et tam ingratum et injurium esse summo benefactori tuo. Ego creavi te ad imaginem et similitudinem meam, et signavi super te lumen vultus mei, ut agnosceres et laudares me Creatorem tuum, et constitui te super opera manuum mearum. Sed tu, cum in honore esses, non intel-

intellexisti; comparatus es jumentis insipientibus, et factus es sicut equus et mulus quibus non est intellectus.

Sed et ego hactenus tam paterne ac provide conservavi te, et fovi te, sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans. ego vires et valetudinem, ego in tot periculis, et adversis salutem prastiti, ego victui necessaria, et alia innumera beneficia tribui: tu verò quoties ipsis donis, et beneficijs meis insolentior factus, his in mei contumeliam abusus es; dum incrassatus, et impinguatus dereliquisti DEUM factorem tuum.

Et si hæc parva videntur, recole

multo

multò majora. Cum perditus
esses Satanæ mancipium, et æ-
terno mortis debitor, ego tui
causa de cœlo veni, et homo
factus sum, propter te servi
formam accepi, cum essem Do-
minus omnium: tot labores &
dolores sustinui, et redemi te
pretio magno, non corruptibi-
libus auro vel argento, aut
gemmis pretiosis, sed sanguine meo
ut glorificares et portares me in
corde, et corpore tuo. & quid
ultrà debui facere vineæ meæ,
et non feci?
Sed quid retribuisti mihi pro
his omnibus, quæ retribui tibi?
Nonne mala pro bonis, et odium
pro

pro dilectione mea? expectavi
ut faceres uvas, et ecce labruscas.
Vendidisti animam tuam sine pre-
tio, cuius pretium est sanguis
meus. Nam quid sunt isthæc om-
nia, ob quæ tam facile et sæpè
perdis animam tuam, et prodigis
ac vilipendis sanguinem meum?
quid nisi fumus et umbra? quid
aliud fœda carnis voluptas, quid
inanissima mundi vanitas, aut
turpis lucri cupiditas? hæc om-
nia amici mei arbitrati sunt ve-
lut stercora, ut me lucrifacerent.
Tu verò tanti ea facis, ut sæpe
me malis offendere, quam homi-
nem, æterna bona, et gaudia per-
dere, quam caduca; & mandata
mea potius, quam mundi judicia
con-

condemnere. Haeccine reddis mihi
ô stulte homo & insipiens.
Hoo Quis stabit ad loquendū
tibi, aut respondebit unum pro
mille? agnosco, quia tu es DEUS
longanimis, patiens, et multæ mi-
sericordiæ, qui misereris omnium,
et dissimulas peccata hominum
propter pœnitentiam. ô quis da-
bit capiti meo aquam, et oculis
meis fontem lacrymarum? quia
non custodivi legem tuam, & in
vanum accepi animam meam, pro
qua tu dilectam animam tuam
dedisti in mortem. Quid dicam
tibi, ô imensa bonitas? peccavi,
sed parce mihi, et noli me con-
demnare, qui pro me damnari
voluisti.

Xtus. Ego dilexi te in charitate perpetua, et te vicissim ad majorem amorem mei tam suaviter, & tantis præmijs invitavi: tu verò cucurristi velut adultera post amatores multos; & ut esses amicus mundi, mihi inimicus fieri non horruisti. Dereliquisti me fontem aquæ vivæ, & fodisti tibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, cum posses haurire aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Maluisti, inquam, hostem sequi, qui obsequium sibi præstitum, & brevis voluptatis usuram æternis supplicijs pensat, quam me qui sequentes me gloria & honore corono.

Hoo. Peccavi Domine, & malum coram te feci. Sed absit ut dicam cum impio: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear. quin scio, quia multus es ad ignoscendum; & licet peccata mea multiplicata sint valde, tamen misericordia tua non est numerus. Desperarem utiqz, si nescirem misericordias Domini. Et tentator quidem non dormit; sed huic oppono, mi IESV, memoriam abundantiæ suavitatis tuæ, quam exhibuisti Davidi graviter peccanti: Adulteræ, Proditori, Mariæ peccatrici, Petro neganti, Chananeæ clamanti, Latroni seditioso pendenti, ipsis etiam crucifixoribus tuis. Sperent ergo in te, qui

nover.

noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domine, imo qui etiam non quærentes invitas.

Erravi sicut ovis quæ periit. Doleo ex intimo corde, ob amorem tui. Et utinam nunquam offendissem te, utinam deinceps non offenderem in æternum. O Pater respice in me, et miserere mei, quia unicus & pauper sum ego; suscipe servum tuum in bonum, quo enim ultra fugiam à facie tua? nusquã mihi bene fuit sine te, postquam fui profugus à te. Ne projicias me à facie tua, nec simul tradas me cum peccatoribus.

Xtus. Nunquid oblivisci potest mater infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui! &

si illa

si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui: Ego enim dedi animam meam pro te, & lavi te in sanguine meo: si fuerint peccata tua ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

Hoo. O Quam bonus & suavis est Domine Spiritus tuus in omnibus! Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium

rium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua. Gratias tibi ago Domine ex intimis medullis animæ meæ, quia vitam & misericordiam hucusq; dedisti mihi, nec in ipsis peccatis, ut quidem poteras, perdidisti, ut nimirum bonitas tua ad pœnitentiam me adduceret.

Xtus. Fili, ut plenius restituaris gratiæ meæ, postquam confessus es adversus te injustitiam tuam mihi, vade & ostende te quoque Sacerdoti, cui potestatem dedi ligandi atq; solvendi. Qui enim abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit & reliquerit, misericordiam con-

seq.

sequetur. Pro anima non confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam. Aperi itaq; Vicario meo integrè & sincerè conscientiam tuam, & ille tibi cœlum aperiet; ad hoc enim tradita sunt illi claves regni cœlorum.

Quid erubescis coram homine, tui simili, & peccatore dicere, quod non erubuisti coram me facere? ubicunq; enim es, semper apertus es oculis meis, qui contemplantur in omni loco bonos & malos. Facessat ergò hic pudor: tunc solùm utilis, cum vis peccare: noxius cum vis pœnitere.

Quid

Quid enim est celare peccata, nisi vulnera tegere, & necessariam medici manum nolle admittere, donec computrescant à facie insipientiæ tuæ. Siccine pluris tibi est honor tuus, quam salus tua? & propalari times apud unũ hominem tui similem, postèa coram toto mundo accusandus & damnandus? quid facies miser in illa die tremenda, quando revelabo abscondita tenebrarum, & manifestabo consilia cordium, & nihil occultum erit, quod non scietur, & quod in tenebris dictum, gestúmque est in lumine coram toto orbe patebit? non ergò pudeat dicere, quod non puduit facere.

Homo.

Hóo. Dixi, confitebor adversū me injustitiam meam Domino, quin & Homini, quem loco tui veneror. Tu Domine remitte impietatem peccati mei. Homo sum, & scio, quia non habitat in carne mea bonum; & si dixero, quia peccatum non habeo, mendax sū, & me ipsum seduco. Errare, labi, ignorare, decipi, hoc meum est; cur negem aut dissimulem, cur inocentior aut sanctior apud hominem videri velim, quam tu me esse nosti; qui vides intima quaq; cordis mei? aperiam potius illi candidè omnia vulnera mea, ut ità facilius curer ab illo; quem ut destinatū à te mihi medicū agnosco.

Xtus.

Xtus. Fili peccasti, ne adjcias iterum. Sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur. Rediens ergo à confessione, jam velut totus in jordane, id est, balneo sanguinis mei, mundatus es à lepra peccatorum tuorum: vide ergo, ne revertaris velut sus ad volutabrū, aut instar canis ad vomitum: Ecce jam sanus factus noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat. facilis relapsus, argumentum est pœnitentiæ minus seriæ. Propone ergo firmiter, omnia prius pati, quam me rursus offendere. ad hoc verò plurimum tibi proderit, nosse in quod vitium feraris proclivius. item quibus peccandi occasion.

occasionibus labi soleas frequentius, ut hic te potissimùm munias, ubi te infirmiorem, & magis periculo obnoxium deprehenderis. Diligenter verò, & non obiter ipsam scrutare radicem, à qua una ferè pullulant omnes istæ spinæ, tribuli, & noxia germina animæ tuæ. illam ergò si excideris, aut saltem represseris, multùm profecisti. Verùm hæc res serio à paucis agitur, hinc hærent semper in eodē luto, accusant conscientiam, non sanant. Deponunt peccata sua, & proponunt meliora; sed mox redeunt ad vomitum. Nunc deflent cōmissa, & paulò post rursùs deflenda committunt:

atqꝫ

atq; hunc ludum omni ferè vita mecum ludunt, donec mors inexpectata eos rapiat, & demergat in profundum; & puteus inferni super eos urgeat os suum.

Cave, ô Homo, ne imiteris eos, qui sic abutuntur patientiâ & longanimitate meâ, ac toties gratiam meam in vacuum recipiunt; rursùm crucifigentes sibimet ipsis Filium DEI, & ostentui habentes. Dico tibi, difficile est eos rursùs renovari ad pœnitentiam.

Hoò. Heu Domine, lætatus sum paulò antè in his quæ dicta sunt mihi à te ad consolandum me. Sed nunc rursùs verba profers terrore, & amari-

tudine

tudine plena. Quid dicam Domine mi? confundor & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt super caput meum. Nam & ego vilis factus sum nimis, toties reversus ad vomitum, quo ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?

Xtus. Quò, mi homo, nisi ad eius misericordiam, cuius potentiam peccando contempsisti. Nemo vestrûm rectè fugit à me, nisi ad me: à meâ severitate ad meam benedictionem, seu bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem, ubi me non invenies præsentem. Stà

aute

autem ingerens tibi, si contristavi te ad pœnitentiam, benè quidem: quo enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Hoc unum te moneo, ut aliorum periculo & damno sapias, qui ore quidem confitentur peccata sua; cor autem eorum non est rectum cum Deo; quin semper eadem repetunt, & sic tandem pereunt.

Quàm facilè esset multis effugere peccata, serio si vellent pericula fugere? nimis proni ad mala sunt sensus hominis ab adolescentia sua; & tu inter

ipsas

ipsas occasiones, & incentiva peccandi illæsus transibis? Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ eius? Ecce David, Salomon, Petrus, alijq; plures sapientia et sanctimonia celebres erant; his tamen occasio in ruinam fuit, unde & tibi in exemplum humanæ fragilitatis, & cautela proponuntur. Illi enim tam facile lapsi docent te quoq; labi posse.

4to. Juravi & statui custodire judicia iustitiæ tuæ. Sed quid ego

ego facere possum sine te? frustra
ego propono, nisi tu gratiam
apponas, et operi manuum me-
arum porrigas dextram. volo
ego quidem servire tibi, sed
sine te non valeo; tu ergo qui
dedisti velle, da perficere. Con-
firma hoc Domine, quod opera-
tus es in me, nec proïcias me
à facie tua, & Spiritum sanctū
tuum ne auferas à me. Con-
fige timore tuo carnes meas, &
amore tui vulnera cor meum,
ut his velut duobus pedibus am-
bulem jugiter in semitâ man-
datorum tuorum.

Xtus. Ambula coram me

&

& ego ero tecum in omnibus
vijs tuis, & dirigam gressus tu-
os. Sed, an nescis, peccatori,
quantum se glorificavit, & in
delicijs fuit, tantum illi deberi
tormentum? nonne æquum est,
ut pro mensura delicti, sit &
plagarum modus? tu, si sapis,
præverte sententiam judicis; &
in temetipsum animadverte: ne
fortè tandem mittaris in carce-
rem, non exiturus indè, donec
reddas novissimum quadrantem.
Facilius est, modò divinæ jus-
titiæ satisfacere, dum adhuc
tempus est misericordiæ, & dies
salutis: facilius hic solvere

delicta

delicta, quam reservare in illud tempus, cum ego justitias judicabo.

Idqz convertere ad me in toto corde tuo, in jejunio fletu, & planctu. Voluptates quidem & carnis delitias sequendo sapius offendisti me; nonne æquum est, ut castiges corpus tuum, et in servitutem redigas, ut sicut te caro læta traxit ad culpam, sic afflicta reducat ad veniam.

Sed & Oratio humilium & mansuetorum mihi semper placuit, meque permovit ut propitius fierem peccatis eorum. Eandem ergo & tu serio adhibebis, ut ego tanquam verus Pontifex

et

et advocatus ad dexteram Patris interpellem pro te, & pretium sanguinis mei, & merita passionis meæ, quibus satisfeci pro peccatis totius mundi, offeram æterno Patri meo.

Eleemosijnis quoqs redime peccata tua: nihil eqs me flectit ad misericordiam, quam si videam vos egenis & afflictis fraterna charitatis affectu misereri. Si verò ijs misericordiæ viscera clauseris, & eorum clamorem audire neglexeris, vide ne ipse aliquando clames, & non exaudiaris. Vis ergò satisfacere pro peccatis tuis? Ecce bona est Oratio cum jejunio et Eleemosijna.

Porro

Porrò satisfactio omnium optima, mihi gratissima, tibiq; utilissima est, adversus ipsa vitia, & vitiorum radices omnem pœnitentiæ vim dirigere. Itáq; ad illa virtutum exercitia seriò, ac potissimùm te converte, quæ ipsos vitiosos animi tui affectus magis oppugnent; quæq; magis molesta sint carni, quâ parte pronior est ad peccandum. Nam quorsùm pedi malagma[a] admoves, dum saucium caput remedium poscit? sua cuiq; morbo, sic & vitio remedia sunt. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, quando sic

a eflaster

pœni-

poenites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod anteà dulce fuit in corpore, tunc verè pœnites, & me tibi concilias. Sed dura tibi fortè videntur, quæ moneo; at duriora sunt ista à quibus te per hæc monita præservari cupio. Attamen, nunquid tu hactenus duriora pro mundo & carne tua passus es? quod illis placuit, quod Satan suggessit, fecisti promptè & alacriter; quod ego præcepi, consului, rogavi per amorem & sanguinem meum, ut mortificationem meam circumferres in corpore tuo, respuisti.

Verum

H00. Verè Domine, ubi converto me ad omnia, in quibus hactenus fudavi, nihil video in omnibus, nisi vanitatem & afflictionem animi; & nihil permanere sub sole. Tu autem Domine in æternum permanes. Quid ergo? Tibi, ô Domine, adhærere deinceps mihi bonum est, & ponere in te uno spem meam. Et quid me separabit à charitate tua? utinam hoc nec vita, nec mors, nec ulla creatura valeat. Sed quomodo veniam ad te, & uniar tibi, nisi traxeris me in funiculis Charitatis tuæ? Trahe me, quæso

ut curram ad te velut cervus ad fontes aquarum. Adjuva me propter gloriam nominis tui, quia tu es DEUS Salvator meus.

Accusatio sui ob multiplicia peccata.

Omnipotens sempiterne DEUS, en ego infelix, indignus ac perfidus peccator, multipliciter tibi rebellis & ingratus, venio ad te Deum Creatorem & Redemptorem meum, accusans meipsum, & confitens tibi omnes abominationes & scelera mea. In spiritu humilitatis & in animo contrito confiteor tibi, quod

sæpe

nomen sanctum tuum, præcepta tua transgressus sim, voluntatem tuam contempserim, dona & opera tua in me destruxerim: animam & corpus meum polluerim, gratias ac beneficia tua in contumeliam tuam verterim, & innumeris peccatis & iniquitatibus meis multipliciter te offenderim. Et in his gravissimis peccatis ac sceleribus, in huiusmodi pravitate & perfidiâ, heu nimis diu obstinatus mansi, abutens benignitate & longanimitate tuâ, seducens cor meum, & inquinans animam meam. Et non solùm

hanc

hanc meam, sed plures quoq; animas, quas tu sanguine tuo pretioso mercatus es, ego malis meis exemplis, & persuasionibus tibi abstraxi, & hosti tuo diabolo necandas tradidi. Ecce Domine, Deus meus, ante pedes tuos prostratus jacet nefarius hostis tuus: ecce hîc habes perversum illum nebulonem, qui se ultrò tibi captivum tradit. Fac igitur de me, quidquid tibi placet, nam integrâ voluntate rigori justitiæ tuæ me subjicio, paratus quamcunq; de me sumere volueris vindictam, lubens subire; tantumodò

tumodo miserere mei & in gratiam tuam me recipe. Nunquid non Pater meus es tu, cuius pietas non potest concludi, cuius miserationes nunquam continere se possunt. Ego verò, licet filij nomine indignum me fecerim, non tamen alium patrem praeter te agnosco. Tua propter ad pedes misericordiæ tuæ prostratus, per omnipotentiam, sapientiam & bonitatem tuam obsecro te, ignosce, remitte & condona mihi offensas meas gravissimas, & in gratiam tuam me rursus admitte dulcis IESV, Fili DEI vivi, qui te advocatum & me-

diato

diatorem inter nos & Patrem
tuum constituisti, obsecro te per
charitatem illam, qua te de cæ-
lis traxit in uterum Virginis,
& de eodem ad passionem & ig-
nominiam crucis: obsecro te per
omnes contumelias & injurias
tibi irrogatas, atqs per omnes
& singulas pretiosissimi sangui-
nis tui guttas pro nobis effusas,
ut mihi peccatorum meorum
veniam impetres, atqs Patri
tuo plene me reconcilies.

Amen.